AUTHOR:

LEVINSON, DR.

TITLE:

ADNOTATIONES AD JONIS...

PLACE:

RATIBOR

DATE:

1862

Master Negative #

92-80597-23

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88ED
Z3
Q

Levinson, Dr.

...Adnotationes ad Jonis Euripideae canticum primum et parodum ... Ratibor, Druck von Vögner's erben, 1862.

14 p. 26 x 20 cm.

Königliches evangelisches Gymnasium zu Ratibor. Progr.


88EE
Z6
v.2

Another copy.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5-27-92 INITIALS SA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Euripides Levinsohn. no. 14 Dupl 10.

Königliches evangelisches Gymnasium zu Ratibor.

Zu der
am 10. und 11. April 1862 Statt findenden

öffentlichen Prüfung
aller Klassen

und zu der

Entlassung der Abiturienten

ladet
im Namen des Lehrer-Collegiums
ehrerbietigst und ergebenst ein
der Director
Professor Dr. Gustav Wagner.

Adnotationes ad Jonis Euripideae canticum primum et parodum. Von dem ordentlichen Gymnasiallehrer Dr. Levinsohn.
Schulnachrichten vom Director.

Ratibor, 1862.

Druck von Bögner's Erben.

Versus, quibus inclusum est canticum, diligentissime perpolitos et singulari quodam artificio in systemata conjunctos esse nemo non videt. Neque enim nimio aequalitatis studio ductus ad unam omnia revocavit formulam poeta, sed numeris apte permutandis id consecutus est, ut non solum venustatem et leporem verum etian dignitatem et varietatem addiderit cantico.

Sunt autem versus anapaestici dimetri systematis comprehensi quatuor legitimis, quae perpetuato numero decurrentia versu catalectico clauduntur, quem vocant paroemiacum. Leges vero, quibus in universum adstricta sunt systemata anapaestica, in hisce versibus tanta servatae sunt severitate, ut, quam concedere par est in componendis versibus licentiam, omnino non sibi sumserit Euripides. Jam vero quatuor systemata in duas distributa sunt partes principales, ita ut, quae his subjecta sunt bina membra, quamvis videantur dissimilia, tamen similitudine quadam inter se cohaereant; id quod apparebit ex singulorum versuum censura. Incipit canticum a dactylis, quae saepissime substituuntur anapaestis neque solum uno alterove sed pluribus continuis. Est enim actuosum natura sua genus anapaestorum, quorum ad infringendum moderandumque impetum sollerter praemittuntur numeri dactylici, quippe qui proxime accedant ad similitudinem anapaestorum. Quapropter id egisse videtur poeta, ut praestruendis versibus dactylicis temperaret ineunte cantico perpetuosam illam numeri anapaestici volubilitatem. Incedunt versus per dipodias, dimetris semel interceptis monometro acatalecto, qui in prioribus systematis ut candem formam servat, ita a versu paroemiaco eodem distat intervallo, in posterioribus autem diversum et habitum induit et locum tenet. Dactylus praecedens in eadem dipodia anapaestum, id quod in vitio est, non invenitur; subsequitur dactylum in eadem dipodia spondeus vv. 83, 84, 92, 93, 95, 96, 97, 99. Qui substituuntur anapaestis dactyli continui occurrunt etiam in fine hujus carminis, eodem, ut videtur, quo ineunte carmine consilio, ut cumulandis dactylis spondeisque obscurarentur quodam modo numeri anapaestici, canticumque tamquam absolutum atque perfectum properaret ad finem. Quo factum est, ut fini respondente exordio in unum quoddam corpus redigeretur carmen. Idque vero ut efficiatur, plurimum faciunt, in quos terminantur versus 107, 108, dactyli, quibus propemodum languescunt numeri anapaestici. Spondeos continet pars prior binos alternantes v. 83, 92, diversis dipodiis descriptos, singulos plures, sed hac lege finitos, ut ab ineunte versu incipiant et anapaestum praecedant vv. 85, 88, 89, 90, 91, exceptis vv. 82, 93. Discrepat ab hac ratione pars posterior, ternos spondeos exhibens alternantes v. 94, et interjecto anapaesto v. 102 quaternos propter perpetuitatem hujus versus et sequentis; binis spondeis consociati sunt versus monometri, 100, 110, 98, 111, quo

in versu paroemiaco spondei una dipodia conjuncti sunt. Quem in tertio pede non admittit spondeum paroemiacus his in systematis non inveni; in primo pede ter occurrit spondeus, semel dactylus v. 93. De versibus monometris, quorum bini eandem referunt speciem atque a paroemiaco eodem spatio distant, supra jam disseruimus.

Hiatum in collisione vocalis longae ante brevem vocalem corripiendae civitate quedam donatum, non habeo quem ostendam; id quod non refellitur versu paroemiaco 93, quo quum claudat systema neque corripiatur vocalis finalis et omnis hiatus tollatur. Neque occurrit in fine versus syllaba brevis, cui si in consonam desinit, indulgent nonnunquam poetae. Caesuram legitimam in secunda arsi usque servatam invenies, nec non abstinuit, quae conceditur, libertate membrorum incidendorum post syllabam brevem, quae arsin subsequitur. Caesuram omnino respuere paroemiacum propter brevitatem, docuit Hermannus; idem valet de momometris.

Haerent interpretes in constructione verborum, vocabulo λάμπειν tribuentes vim intransitivam; qui quum non habeant, quo accusativum ἅρματα referant, Ἥλιος emendari volunt in Ἡλίου, ita ut accusativus cedat nominativo. Quae emendatio nil habet per se offensionis quippe non discrepans a legibus metricis, quibus diphthongus ου ante vocalem sequentem corripiatur, hiatus tollatur. Sed nominativum Ἥλιος quum omnes inter se consensu codices tueantur, explicatione videtur opus esse aliunde repetenda. Musgravio quidem aliisque visum est accipere λάμπειν vi activa vel factitiva quasi diceretur „nitidum currum Phoebus fulgentem facit. Quae interpretatio neque falsa nec vocabulorum junctura inaudita est. Namque referenda est ad eam, quae dicitur prolepsis, figuram sententiarum, positam in eo, ut id, quod verbo efficiendum est, epitheto quodam anticipetur tanquam effectum, ut dicitur θερμὸν ὕδωρ γυῖα μαλθακὰ τέγγει i. e. ὥστε μαλθακὰ γενέσθαι. Κλῇθρ᾽ ἀναπτάσσου πύλης χαλῶσα Soph. Ant. 119. Sed quaeritur num necessarium sit, verbo λάμπειν subjici sensum transitivum. Tollitur enim difficultas si post verba ἅρματα λαμπρὰ subandiatur participium ἔχων, ἄγων quod saepius omittitur, ut Pindar. Pyth. 6, 14 φάει δὲ πρόσωπον ἐν καθαρῷ ἐπαγγελεῖ, et in ipsa fabula v. 52. ἀμφιβωμίους τροφὰς ἀλᾶσθαι, id quod Hermannus brevius esse dictum ait pro ἠλᾶτο ἔχων ἀμφιβωμίους τροφάς. Hermanno quidem neque de corrigenda scriptura neque de subintelligendo participio assentitur Schoemannus in programmate Gryphiswaldensi 1859, qui brachylogiam contendit certis quibusdam legibus esse adstrictam, ita ut ad subaudiendum relinqui non possit nisi talis actio, quae cum illa, quam verbum eloquatur, sic aut natura sua aut more conjuncta sit, ut simul atque objectum additum audiatur, etiam de subandienda actione dubitari plane non possit."

Jam vero poeticae orationi magis esse consentaneum arbitror imaginique orientis solis plus tribui vivacitatis, si lumen per terras sparsum a deo ipso proficiscatur neque ab ejus quadrigis; id vero fieri non posse nisi si acceperis λάμπειν de Phoebo fulgente. ἅρματα τεθρίππων — aliis locis legitur significatu adjectivi τέθριππον ἅρμα Suppl. 500 τέθριππα ἅρματα Phoeniss. 1555.

V. 84. Scripturam φεύγει quae recte se habet, ad fidem codicum melioris notae restituit Canterus, quum quod olim legebatur φλέγει neque metro aptari possit et a sensu abhorreat. Etenim si corrigitur φλέγει, pro spondeo habemus jambum, quem non admittit numerus anapaesticus, et stellae radiis solis fulgentes ne cogitari quidem possunt, quarum sole exorto exstinguatur candor. Αἰθέρος quorsum tendat ambigi potest; quod si cum πυρὶ τῷδ᾽ consociatur, significat ignes aetherios, si cum ἄστρα conjungitur, respondet sideribus aetheriis; sed probabilius videtur αἰθέρος accipere pro ἐξ αἰθέρος i. e. ex coelo, quod opponitur τῷ εἰς νύχθ᾽ ἱερὰν; fugam dant nubilo coelo Virgil. 12, 367.

V. 85. Sacram vocavit noctem poeta non tam propter pacem et tranquillitatem quam diffundit, ut statuunt interpretes, neque propter obscuritatem horrorem sacrum injicientem nec propter stellarum inhabitationem, quam quod Νύξ in numero deorum habebatur, nomine insignita παμμήτειρα, quae peperit somnia, aetherem, somnum, Eumenides.

V. 86. Παρνησσιάδες. Praetulit Hermannus hanc scripturam duplicata simplici littera; metrum non flagitavit diplasiasmum. Duplicari quidem litteram σ nonnunquam in vocabulis docuit Lobeckius in libro suo de affectionibus; sed Παρνασσος, Κηφισσος alia num ad eam affectionum speciem referenda sint, propter variantem scripturam eorum nominum, quorum penultima longa, difficile est dijudicatu.

V. 87. Καταλαμπόμεναι τὴν ἡμερίαν. Sic Hermannus ad exemplum Canteri, qui respuit ἡμέραν vulgatae lectionis a Musgravio defensae. Scripserunt ἠερίαν Scaliger, τὴν πρωΐαν Matthiaeus, quod e glossa in textum fluxisse Hermannus ostendit. Sed qui ἡμέραν legunt, vereor ne in angustiis versentur, quod jambum jam supra demonstratum est contra naturam esse numeri anapaestici, accedit quod adjectivum ἥμερος, quod pro ἡμέριος ἡμερήσιος hic illic occurrit commune est, et dubium videtur, num peculiarem feminini generis sibi vindicet formam, id quod utique cadit in adjectivum ἡμέριος. Melius Scaliger ἠέριος i. e. matutina rota, quod ad sensum optime quadrat sed principatum obtinere non potest, si cum ἡμερίαν contuleris, quod ad vulgatam proxime accedit; significatur autem rota diem referent ut Hermannus intellexit. Quam lectionem etsi probavit Beckius, tamen nil habuit quo βροτοῖσι referret, itaque legit κατα λαμπομέναν i. e. ut ipse vertit, accensam mortalibus; βροτοῖσι recte quidem eum interpretatum esse, ad unum omnes consentient; sed quid fuerit, cur quaereret, unde penderet βροτοῖσι non intelligitur; namque βροτοῖσι ad totam sententiam pertinere, id omnibus haud dubie probavit Hermannus. Substituit ἀψῖδ᾽ ἄμβροτον ἐπιδέχονται Glasguensis editionis auctor neque ingeniose et violenter, unde fit, ut etiam versus paroemiacus fugiat in noctem sacram. Pergit poeta: At vos Phoebi Delphici ministri, ad gurgites procedatis Castalios argenteos et puris undis lavati ad aedes adscendite, favete linguis ut fausti ominis voces reddatis petituris oraculum.

V. 90. Φοίβου πέταται. Musgravius τέταται, quod libri edunt, correxit in πίτναται, „ita lego pro voce nihili πέταται nisi malit aliquis τέταται a τείνω. Adstipulatur Dindorfius, librorum manuscriptorum vestigiis institit Hermannus et recepit πέταται. Quodsi Buttmanno fidem habes qui Gramm. Graec. § 114 formas πέταμαι et πέτομαι poetas scenicos promiscue usurpasse contendit, non

est, cur deleatur forma πέταται, nisi concinnitatem verborum in dubitationem vocasset Hermannus, qui verbum volare autumat de fumo intelligi non posse, quum id quod volet relinquat locum ex quo attollatur, fumum vero emittant perpetuum turribula. Qua re ni fallor πέταται pro πετάννυται accepit, sed mihi non persuasit. Ac primum quidem non video quid differat inter καπνὸς ὑπερθρώσκοντα ὁρῶ Eurip. Nec. 823 et καπνὸς πέτεται; deinde fumus revera relinquit locum neque redit, unde exit, ad turribula, quamquam recenti accretione sustentatur. Sed in quo vertitur summa rei, inquirendum videtur, num verbum πετάννυμι exhibeat formam illi respondentem quam textui inseruit Hermannus. Verba πέταμαι et πετάννυμι cognatione quadam inter sese copulari grammatici affirmant; formam simpliciorem πέταμαι valuisse pro praesenti apud recentiores testatur Buttmannus; quo concesso tamen non sequitur, ut qui aetate antecesserunt poetae usi sint his formis. Magni momenti est id quod Lobeckius dixit ad Phryn. pag. 581 et in add. ad. Buttm. § 114.

V. 71. Θάσσει δέ γυνή. Vatem Delphicam hoc loco significare virgine mmonuit Brodaeus. Temporum vero progressu mulieri annis jam provectae atque ex agricolis lectae dabatur haec provincia.

V. 94. Haesit Scaliger qui pro Δελφοὶ legendum putavit σεμνοί Notabilis quidem est forma adjectivi Δελφός a Δελφοὶ propagati; exspectare debebas Δελφικός, sed hanc breviorem praetulisse Euripidem longiori permultis locis index docet editioni Beckianae alligatus, unde apparet Δελφικός semel legi Or. 1656. Δελφό's plus semel. Templa redundabant ministrorum copia, muneribus alternantibus; hoc loco eos intelligit Beckius quorum erat diffusas et inordinatas Pythiae voces in formam quandam redigere.

V. 98. Textu ut videtur turbato, variant quas capiunt viri docti conjecturae. Pro ἀγαθῶν quod Herrmanno arrisit, Musgravius legit ἀγαθόν cum στόμα conjungendum, sed frigidum ipsi videtur quare in mentem venit ἀγανοὶ, quod si codices confirmarent, melius ad sensum quadraret quam ἀγαθῶν, quod commate ab antecedentibus verbis discretum, Hermannus recepit; jungit ἀγαθῶν φήμας ἀγαθάς et vertit bona bonorum omina; sensus fere idem est, quem includit Musgravii conjectura; utroque enim casu refertur, si recte intellexi, ἀγανοὶ ad ministros, dirimitur a στόμα. Itaque ego, ut a codicibus minus aberremus, proponam lectionem ἀγαθοί cui non video quid obstet. Imo patrocinatur usus loquendi nescio an poetarum sed solutae orationis scriptorum; namque plus semel occurritur apud Platonem ὦ ἀγαθέ vel per crasin in unum conglutinatum ὦγαθέ. Sed quaeritur quid offenderint in jungendis στόμα τ' εὔφημον ἀγαθόν viri docti. Fieri potest ut omnino non dicatur στόμα ἀγαθόν; tum non dubitamus, quim delenda sit scriptura; sed ipsa verborum dispositio suadere videtur ut εὔφημον ἀγαθόν eodem modo nectatur, quo versu insequenti φήμας ἀγαθὰς id quod congruere omnes facile intelligent.

ἰδίας. Hic addit interpres nescio quis: mirum, credo, foret ni propriis linguis loquerentur. An legendum ὁδίας. Nil opus est turbari textum, quam locum expediverit Hermannus praeeunte Dindorfio; namque ἰδίας tantum abest, ut supervacaneum sit, ut sensu requiratur. Hortatur Jon

ministros ne quantumcunque possint i. e. lingua ipsorum cohibenda, mali ominis voces reddant. Infinitivum ἀποφαίνειν non recte interpretati sunt qui pro imperativo valere contenderint. Hujus quidem enallages permulta exstare exempla lippis et tonsoribus notum. Sed hoc loco longe aliter se res habet. Rectius Musgravius qui ὥστε supplet quod saepe omitti docuit Matthiaeus. Universe usurpatur infinitivus, ut effectus et consecutio ejus significetur, quod verbo finito, unde pendet, exprimitur. Nihilo secius alium atque Hermannus sensum substruxit his versibus Musgravius. Dicit enim: intellige ὥστε, ut ea quidem responsa, quae deus dederit, vosmet interpretemini. Datum enim oraculum, quod ut plurimum obscurum et anceps erat, explicabant sacerdotes. Recte quidem sed huc non spectant; neque enim de oraculis interpretandis, sed, ut memoravimus, de linguis cohibendis sermo est. φαίνειν vocabulum proprium est sacerdotale, quod potissimum usurpatur in Cereris Eleusinae sacris opertaneis; idque hoc loco consulto adhibuisse Euripidem quamvis non cogitaverit de mysteriis, persuasum mihi est.

Pergit poeta: Ego vero ab infantia usque exantlo labores, virgis launeis et coronis sacris aream Phoebi faciam mundam, solumque liquidis lymphis madefactum et volucrum turbam vasa sacra polluentibus arcu meo impellam praecipitantem, quippe qui neque patrimus nec matrimus templis Phoebi nutrientibus adsim tanquam camillus. Age vero, o recens pulcherrinae lauri virga, praescia futuri, quae Phoebi altaria verris sub templis ex hortis immortalibus, ubi voce proluitur sacro, emicante fonte aeterno, myrti coma casta, qua dei pavimentum lustro diurnus alatis Solis quadrigis par, pensum diurnum pertexens, o Paean, Paean, mactus sis, mactus Latonae fili.

V. 112. ὦ νεηθαλές προπόλευμα. Est abstractum pro concreto ut saepius apud poetas nec non in oratione pedestri. Nomini abstracto προπόλευμα respondet concretum πρόπολος, quod κατ' ἐξοχὴν de iis intelligitur, qui sacro ministerio funguntur; poetae ipsi vocantur πρόπολοι Μουσῶν cf. Passow s. v. Cujus schematis superfluunt exemplis grammatici saepe ineptis, Matth. p. 49, Bernhardy p. 95.

σαίρεις quod metri cansa requiritur, restituit Musgravius ex codice. Nam σαίρει hiatum efficeret propter insequentem ὑπὸ et syllabam corriperet. Etiam sensus flagitat hanc scripturam, quod ramum alloquitur Jon et orationis vigor languesceret σαίρεις in σαίρει permutato.

V. 118. In explicandis v. 118 et squ. ingenii acumen oppido periclitati sunt viri docti. Ac primum quidem supersedendum censeo iis, quae notavit Heathius, cui quum non habeat, unde regatur accusativus ἱερὰν φόβαν, lectio ἱερὰ φόβα placet, id quod omnino non intelligo; nam recto casu posito, constructis plane laborat, quod verbum τέγγουσι accusativum desiderat, abhorret vero a jungendo cum τὰν ἀέναον παγὰν; etiam pro vocativo ἱερὰ φόβα haberi non potest. Hermanno voces fontem emittentes vix ferendi videntur, itaque γᾶς inserendum ei arridet; quod si cum δρόσοι conjungitur, voces significantur e terra emanantes qui fontem illum perrennem gignunt. Sed δρόσοι probadilius videtur significare aërem humidum, unde exoritur densatione humor, qui myrti sacram comam irrigat.

ἀέναος simplici litera ab Herrmanno receptum est, libris ἀέννaος exhibentibus littera duplicata. Conflatam esse vocem ex ἀεὶ et νάω, docent grammatici. Pars prior compositionis per exaeresin τοῦ ι mutilata est, quam syllabam debilitatam ut corroborarent, ν interposuere, unde tertia ab fine producta est. At ubicunque ἀέννaος invenitur, ut Hermannus ait, ἀέναον scribendum esse, metra evincunt. Itaque scriptura ἀέννaον ut spuria delenda est, metro, ut supra demonstratum est, ἀέναον flagitante. Quae affert Kirchhoffius in adnotatione critica ut κύμπων. δεῦσω supersedeamus. De myrti sanctitate fusius disseruerunt interpretes.

V. 124. τὸ κατ' ἦμαρ. κατὰ significationem distributivam habet, itaque κατ' ἦμαρ est diem ex die, non quotidie, ut voluerunt interpretes; quo non totins diei spatium exprimitur, sed momentum tantum temporis. Hic vero intelligenda esse pensa diurna apparet ex articulo τὸ adjecto, cui, si praepositionem eum casu antecedit, eadem vis inest, quam habet τὰ εἰς τὸν πόλεμον i. e. τὰ πολεμικά; sic τὸ κατ' ἦμαρ significat τὸ ἡμερέσιον. Matth. § 273.

V. 125. ὦ Παιάν. Homerum sic appellare medicum deorum, notum est, ab Apolline diversum; sed temporum progressu ad hunc translatum, artis medendi interpretem. Nec mirum; namque ab Apolline arvorum agrestium tutore, vaticinante et pestifero non longe distat Apollo ἀποτροπαῖος, καθαρτής, ἐπικούριος. Affligere morbis homines Apollo credebatur. Sed auxilium petere homines consentaneum erat, unde originem morbi ducebant.

Pergit poeta: Pulchrum quidem in tuam o Phoebe gratiam excipio laborem in propatulo oraculi sedem reverens; atque in glorioso mihi est labore, diis serviles dare manus; sed in immortalium gloriam susceptorum fausti ominis laborum me non taedet. Phoebus est mihi genitor, namque victum praebentem laudibus effero, eumque mihi utilem in parentis loco habeo; quapropter Phoebum templi Delphici nomine appello patris, o Paean, Paean, mactus mactus sis, Latonae fili. Sed finem impositurus sum operi, laureis ramis ultro citroque ducendis, ex auro vasibusque humi fundam lymphas e Castaliae vorticibus manantes, liquidos fluctus spargens, ex quo surrexi strato integer.

V. 132. In distinguendis sententiarum membris Musgravii sequor rationem ab Hermanno impobratam, qui οὐ θνατοῖς sejungit ab iis quae sequuntur et ἀλλ' ἀθανάτοις cum εὐφάμοισι conciliat, id quod non placet. Nam germanice hunc versum sic verto: Rühmlich ist mir die Mühe, meine den Göttern dienstbare Hand nicht Sterblichen sondern Unsterblichen zu weihen. εὐφάμοισι formam per proschematismum τοῦ ι pleniorem fecit Hermannus littera ι dativo adjecta, quippe quae aliter metro aptari non posset.

V. 138. Hunc versum et sequ. alii aliter et intellexerunt et correscerunt. Reiskius quidem, ut expediret constructionis rationem legit τόν τ' ὠφέλιμον — Φοῖβον i. e. Phoebum, qui mihi utilis est, nomine patris apello; utique recte se haberet verborum junctura quod λέγω ὄνομά τινα saepissime dicitur. Matth. § 420. Assentit Heathius, qui ut omnis difficultas tollatur, τοῦ κατὰ ναὸν corrigit in τὸν κατὰ ναόν Musgravius τὸν δ' ὠφέλιμον mutat in τὸ metro si non jubente at favente certe. Pendet

ab hoc Φοίβου i. e. utile quod mihi ex templo Phoebi redundat. Id vero respuit Hermannus qui Φοίβον et πατέρος per attractionem consociat.

V. 146. γαίας offendit Reisckium, qui corrigere voluit γαίᾳ i. e. in terram projiciam. Non video qui factum sit, ut haereret, quum id, quod petitur, per genitivum exprimi soleat; melius videtur γαίας non cum ῥίψω sed cum παγὰν consociari i. e. fontem terrae effundam, quem emittunt Castaliae vortices, νότερον ὕδωρ. νότερον otiosum epitheton est, quod projicere poeta debebat non ex aureis vasibus sed ex textu. Sed defatigat totus hic locus nimia sententiarum iteratione ac tumore, ineptaque illa tragicae magniloquentiae affectatione superfluit, quam jure Aristophanes castigavit.

Vah, vah; jam volitant atque profugiunt volucres Parnassi de cubilibus. Hoc dico, ne vos pinnas perstringatis neve in aedes auratas voletis. Sed capiam te arcu meo, nuntia Jovis, avium vires rostro infringens. Ecce ad altaria alius quis remigat pennis cycnus; nonne aliorsum purpureum pedem referes? Nil te Phoebi cithara concinens telis vindicet; declina alas, ad lacus accede Deliacos; sanguine pollues, ni pareas, carmina canora; vah, vah, quaenam haecce avis novitia pervolitavit? Sagittae emissio te arcebit. Nonne morem geres? Subiens vortices Alphei pullos procrea, vel in saltus Isthmios, ne quid vasa sacra capiant detrimenti et aedes Phoebi; sed revereor vos percellere, deorum voces referentes mortalibus.

V. 158. θριγκος est pinna, summum fastigium ejus partis templi, quod αἴτωμα Graeci, vocabant; χρίμπτειν quod vulgo cum genitivo construitur, hic dativum regit; χρίμπτεσθαι semel apud Homerum cum dativo conjunctum invenitur. Passow s. v.

V. 159. Desiderat Reisckius post hunc versum alium hoc fere intellectu: ἂν δὲ πελάσῃς, μάρψω. Per hancce sententiam transitum fieri ad versum sequentem, apparet ex vocabulo αὖ; si approquinquetis, ego contra interimam vos; sed licuit poetae supersedere.

Ζηνὸς κῆρυξ. aquila significatur, quacum si V. 164 cycnus confertur pronomen ἄλλος haud aptum videtur, quod non alia aquila, sed cycnus pervolitat, ab aquila diversus. Cujus brachylogiae pluria exstant exempla ut Homericum illud Τρῶες καὶ ἄλλοι Ἀχαιοί.

V. 166. φόρμιγξ σύμμολπος est cithara concinens tuae voci; quamvis enim cantus ad similitudinem accedat sonus lyrae Appollinis, tamen sagittae meae te interficient.

V. 168. Scaligeri emendationem πάραγε πτέρυγας cui plausit Hermannus, alii interpretes improbarunt. Sunt qui dicant, neque ἄγειν nec παράγειν πτέρυγας significare avium volatum, itaque legendum παρὰ σοῦ πτέρυγας metro haud inconveniens; alii αὖ ῥάττε πτέρυγας, i. e. alas sen alis plaude Virgil. Aen. 5, 516; παρά τε πτέρυγας omnino disciplet, quod sensu caret. Quodsi παράγειν πτέρυγας inusitatum est Graecis, substituendum videtur ἄπαγε, quod saepius cum accusativo conjungitur. Relegatio in lacum Deliacum apta videtur, quod insula pariter atque avis Apollini consecrata erat.

V. 170. Hos versus aliter interpretor atque Hermannus. Cycnos constat morituros edere cantum lugubrem; de quo cogitans Jon dicit: mortem oppetes nisi morem geras, et cantus tuus miscebitur sanguine tuo sagittis meis emicante.

V. 176. ψαλμοὶ τόξων est vibratio arcus. Dubitat Jon avem Apollini sacram interficere, itaque chorda vibranda pellere studet; accedit quod dicit v. 182. κτείνειν ὑμᾶς αἰδοῦμαι.

V. 190. ἀγυάτιδες θεραπεῖαι sunt, ut Barnesius recte explicat, orae Apollinis Agyiei. Ἀγυιεύς ἀγυιάτης, θυραῖος vocabatur Apollo quod tutor agrorum et viarum erat, et θεοῖς προδόμοις, ἀντηλίοις adscribebatur; unde fiebat ut aras ante domus et in viis statuerent formam cubicam vel pyramidalem referentes.

Pergit poeta: Non Athenis solum divinis columnatae erant porticus deorum, neque ministerium areale, verum etiam apud Loxiam Latonae filium geminarum personarum, egregia palpetra lumen. Ecce, hunc, vide Lernaeum anguem, interimit aurea falce Iovis filius, amica, oculis specta.

V. 191. Quae in hunc locem, virorum doctorum congestae sunt emendationes brevissimo ambitu mihi animus est constringere; καλλίφαρον librorum correxit in καλλιβλέφαρον Barnesius, quod ex analogia adjectivorum ab neutris in ες compositorum inauditum esset καλλίφαρος cujus legitima forma desineret in ης ut πολυάνθης Qua tamen regula non omnia adjectiva adstringi, apparet ex exemplis, quae ipse affert; διδύμων προσώπων intelligit Musgravius de duplici aedium facie, cui somniare videtur Barnesius, qui id per duplex oculorum lumen vertit. Sed propior veritatem videtur esse Barnesius, qui haud dubie per duplex lumen fratrem et sororem i. e. Apollinem et Dianam comprehendit, qui ubique fere communiter colebantur. Cum Heathio post Λατοῦς interpungendum non puto, quum id quod sequitur, apte respondeat praemissis; nam ut Ἀθάναις excipit παρὰ Λοξίᾳ, ita ἀγυιάτιδες compensantur per διδύμων — φῶς. Sed omissa interpunctione ex codice Pal. reponendum censeo τῶν Λατοῦς, unde fit, ut sensus horum versuum per se pateat.

Pergit poeta: Video et ex propinquo alius quis facem ardentem tollit; an qui in meis exhibetur staminibus armiger Joalaus qui communes suscipiens labores cum divino filio exantlat? Jam vero hunc contemplare alato insidentem equo, ignivomas interficit tricorpores vires. Quoquoversus oculos circumfero. Ad spice tumultum in moles lapideas incisum Giganteum. Haec intuemur, amicae.

V. 200. Tollentem facem Joalaum in tabula delineare non licuit pictori. Sed aspectus imaginis in ipsam actionem rapit feminas, ita ut imaginem transferant id quod mente solum comprehendatur. Musgravius hos versus inter chorum et Jonem ita distribuit, ut, quae ille quaerit, hic respondeat et partes agat, ut ita dicam, pariegetae. Versus ab ἰδού incipientes si Musgravio fidem habes, proficiscuntur ab Jone. Annuente choro pergit ille in explicando καὶ ἄλλος — αἴρει, unde fit, ut pronomen indefinitum τις divellat ab antecedentibus et choro tribuat tanquam interrogativum. Quod aliter visum Hermanno nec injuria. Brodaeum qui πήναις metaphorice pro λόγοις dictum esse putat, explodit Barnesius qui peplum intelligit, cui fabulas intexere solebant virgines et matronae Atheniensium. Sunt hae ἐργαστῖναι quarum erat in honorem Minervae peplum intexere, quae de malo navis suspendebatur, per πομπὴν Παναθηναϊκήν urbem pervehentis.

V. 209. πυρπνέουσαν; Quod libri exhibent πυριπνέουσαν vel πυριπνείουσαν correxit Hermannus. Reiskius vult ὡς τὰν πῦρ πνέουσαν. Litteram connexivam post ρ saepe omitti notum et veresimile est potissimum id fieri, si nomini composito activa significatio inest, ut πυρφόρος.

V. 210. τύκαισι λαΐνοισι. τείχεσι quod olim legebatur, metri causa mutandum esse statuit Musgravius, itaque scripsit πτύχαισι. In hoc non acquievit Hermannus, qui improbat conjecturam propter vocabuli significationem, id quod indice editioni Musgravianae allegato non confirmatur. Posuit τόκοισι a τόκος propagatum; τύκος est instrumentum quo utuntur scalptores; τύκισμα eodem fere intellectu de iis intelligitur, quae saxis incisa sunt; τύκη lexicis prorsus ignotum est. Quid igitur? Musgravii conjectura commendabilis videtur, quod metro quadrat, neque usus obstat. Legitur enim ἐν αἰθέρος πτυχαῖς Or. 1631, 1636. Κιθαιρῶνος πτυχαῖς Suppl. 757. τοίχων πτυχαῖς fr. 46, 2., quae exempla non aliena sunt. Nam πτυχαὶ αἰθέρος sunt convexa coeli, Κιθαιρῶνος πτυχαὶ sunt saltus Cithaeronis, τοίχων πτυχαὶ sunt recessus muri. Universe significat, ut Hermanno placuit, locum circumdatum, quod huc qnadrare videtur si figuras in recessum parietum incisas in animum inducimus. Quod si minus aptum videtur et usus vocabuli τύκαισι dubius est, fortassis ad veritatem accedemus, si τύκαισι in τύκοισι mutaverimus; nam etsi τύκος proprie instrumentum scalpendi significat, non sequitur, ut nonnumquam poetae non usurpaverint ad id exprimendum, quod instrumento efficitur vel ad materiam, cui adigitur instrumentum. Hic materia intelligenda videtur.

Pergit poeta: Video Palladem, deam meam. Quidnam? An fulmen flammeum horrendum in Jovis eminus ferientibus manibus? Animadverto. Adversarium Mimantem igne vertit in cinerem; atque Bromius alium imbelli thyrso vibrando percellit terrigenarum Barchus. Te compello, qui es in propinquo aedis, an licet limen transgredi mundo pede? Non licet hospites; an fieri potest, ut voces mihi reddas? Quidnam me vis? An revera medium terrae locum complectitur Phoebi aedes? Sertis certe distinctum, circa Gorgones. Ut quoque fama loquitur. Si libaveritis libum ante aedem et consulere animus est Phoebum, accedatis ad altaria, sed avibus non immolatis ne intretis aedis recessum. Perceptum habeo; sacratas vero leges ne violemus. Sed externa delectabunt. Omnia lustretis quaecunque lustrare fas est, oculis.

V. 212. δερκόμεθ'. Scriptura fluctuat inter δερκώμεθ, δορκώμεσθ' δερκόμεσθ'. Formas δερκόμεσθ', δερκώμεσθ' sigmate inserto non inusitatos esse apud Tragicos notum est; sed quod metrum obstat, rejiciendae sunt. Idem valet de indicativis, ad quos propensiores essemus, nisi sensus efflagitare videretur conjunctivum. Nam verba ὧδε δερκόμεθ' cohaerent cum antecedentibus. Mentionem enim Titanomachiae necesse erat animos ita commovere, ut illico sese conferrent ad intuendum atque dicerent: huc spectemus.

V. 213. Nauckius vult nescio quo ductus γοργῶπιν pro γοργωπόν. Horribilis dicitur clypens propter Γοργείην κεφαλήν, quod caput medio clypeo affixum erat. Recentiores poetae clypeum mutavere in loricam ex pelle Amaltheae fabricatam, quae Jovi rumen praebebat. ἐκηβόλου crrexit Musgravius in ἐκηβόλησι; sed hanc formam non esse genuinam docet Lobeckius Paralipp. 461, qui

motionem per tria genera ab hoc adjectivo verbali abjudicat. ὄμβριμον; sic libri etsi in uno codice littera u erasa est; genuinam formam apud Homerum esse ὄβριμον Passowius docet, unde ὄμβριμον per paremptosin ortum, lyricis usitatissimum. Sed hujus generis affectionum panca censeo exstare exempla. Graecos vero non offendisse harum trium consonarum consecutionem apparet ex ἄμβροτος, ubi dissociabiles consonas μρ per litteram euphonicam consociabant.

V. 221. Βρόμιος, Βακχεύς est Dionysius Phrygius, diversus a Thebano, qui progressu temporum in unum coaluerunt. Hic Phrygium intelligendum esse Dionysium non ex eo patet quod Thebanus, Semeles filius, Gigantomachiae particeps esse non potuit nisi per anachronismum, quem nonnumquam sibi indulserunt poetae. Ad proelia parum fuisse propensum videre licet ex baculis heredaceis, quae ipse poeta vocat imbecillia. Induxit eum haud dubie ex suae aetatis ingenio Euripides, qua nihil jam differebat inter Dionysium Phrygium et Thebanum.

V. 224. σέ τοι παρὰ ναὸν αὐδῶ. Orationi ut gravitas quaedam addatur, pro vocativo interdum λέγω, καλῶ, αὐδῶ ponitur, quod etiam omittitur, cum pronomine personali. Sed hoc loco res aliter se habet, quum nomine ignotus esset mulieribus Jon, neque eum significare possent nisi per paraphrasin.

V. 226. Mutilatum esse versum per se patet. γύαλον haud dubie significat interiorem templi partem, quae tamen per penetrale, ut statuunt interpretes, verti non potest; nam penetrale respondet vocabulo ἄδυτον Graecorum, i. e. cellae, ubi statua dei vel deae inerat, quam visere nemini licuit nisi sacerdotibus. Respicit γύαλον ad eam templi partem, quae ante cellam sita erat, quam licebat intrare.

V. 228. 229. Versus ab aliis aliter describuntur. Editionem Aldinam Hermannus et Dindorfius secuti post πυθοίμαν reponunt αὐδάν, quod Musgravius putat ex sequentibus editionibus typographorum incuria excisum; id probatur iis, quae sequuntur, verbis τίνα δῆτα θέλεις, quod pronomen pro singulari valet, cui ab editoribus τήνδε adjectum est. Hermannus iis, qui omittunt αὐδάν non adstipulatus jubet, si versus 228 in ποθοίμαν terminetur, insequentum incipere ab αὔδα τι θέλεις, id quod recte se habere contendit Kirchhoffius; quocum ut congruat versus strophicus 212, inserit δὴ post φίλαι Hermannus.

V. 230. ὀμφαλός proprie non dicitur de umbilico terrae sed ab ὀμφὴ ductum est, i. e. vocibus quas Pythia tripode insidens ex antro emittebat, unde locus ὀμφαλός vocabatur. Sed quum utramque significationem comprehenderet, hanc homonymiam in suum usum convertit historia fabularis, quae ad umbilicum terrae indagandum jussu Jovis duas aquilas facit volantes. μέσον non videtur per pleonasmum additum sed exquisitius dictum. Pro ἐνδυτός quod legebatur ἐνδυτὸν scripsit Musgravius, non ad templum sed ad umbilicum referendum, Pausaniam laudans p. 331, 1, 27. Sed serta quibus ornatus erat ὀμφαλὸς decori tantum, ut videtur, erant, neque, ut ille putat, multitudinis arcendae causa. Hanc potius fuisse Gorgonum vim, verisimilius videtur. φάτις penultimam brevem

habet contra analogiam similium verborum, quae ex ipso themate expressa, aut brevem vocalem in longam mutant ut a βάω βῆμα aut sigma interponunt φύω φύστις Lob. Paralipp. p. 439.

V. 234. εἰ μὲν ἐθύσατε — πάρετ'. Plerumque respondet futuro vel imperativo in apodosi prioris membri conjunctivus cum ἐάν, si id quod continetur conditione verisimile est ad exitum pervenire. Sub quam regulam cadere non potest hoc exemplum, quod non curat Jon quid facturae sint mulieres, sed tantum ad legem respicit, qua vetitum erat quemquam intrare templum ante placentum immolatum. Scriptura ἐδύσατε, ἐλύσατε refutatur melioris notae codicibus et eo, quem Musgravius affert, loco Hippol. 146. ἀθύτων πελάνων. Aeschyl. Pers. 204 θῦσαι πέλανον. Sed quaeritur quid sibi velit πέλανος quum de ovibus mactatis sermo sit; id non fugit Musgravium, qui ut concinerent versus, de sanguine victimae intellexit placentum idque confirmat similibus locis allatis. ἐπὶ δ' ἀσφάκτοις; praepositio ἐπὶ cum dativo saepius usurpatur hoc significatu; ad templum accedere, inquit, nefas est nisi immolaveritis. Tragicorum locis collatis Musgravius statuit θυμέλην proprio sensu atrium esse sive in divitum aedibus sive in templis. Quae vis videtur hoc loco voci inesse, quum mulieres spectandi tantum studio ut satisfacerent, ad atrium templi sibi munire vellent viam.

V. 242. Nativa quaedam loquacitas mulieres impellit ad res miscendas parum inter se cohaerentes, unde fit, ut actio nimis tarde procedat. Nam veria impetrata jam nil erat cur gratiam ambirent Jonis. Sed fieri potuit ut poeta, cujus intererat in scenam promittere Creusam, unam ex numero mulierum, quippe in angustiis versatus quomodo id efficeret, parum scite hosce versus copulaverit.

V. 241. ὅτι καὶ θέμις. ὅτι videtur pronomen relativum esse, quidquid, etsi cum plurali πάντα non congruit. Pluralem pronominis ἅτινα non inveniri post πάντα docet Matthiaeus § 483 sed ὅσα substituendum. Quam rationem haud scio an tragici tuiti sint. Sed nil impedit, quo minus pro conjunctione habeatur ὅτι; aliis quibus, ut nobis, debilis videtur sententiarum connexus, arridet ὅτε i. e. quamdiu licet, quod excipitur a choro dicente, sibi potestatem esse factam templum visendi.

V. 247. Hermannus rejecit τάδ', praetulit τᾶσδ' quod uni codici adscriptum est; contra alii legunt περιοῦσαν δ' αὖθι τάνδ' ἐρῶτα. Cui congruit id quod Musgravius contendit, chorum id locutum esse superveniente Creusa. Sed rectius Creusam ipsam haec disserentem facit poeta.

Sunt versus Glyconei per terna systemata juncti antistrophica, versu Pherecrateo clausa, ita ut extremis bini adjecti sunt Molossi. Metra Glyconea quum diversissimam in strophis speciem prae se ferant, operae pretium videtur, singulos versus perlustrare. Ac versus quidem 112 incipit ab anacrusi pro basi posita, sequitur trochaeus, per transpositionem ante choriambum collocatus et ex jambo mutatus, propterea quod anacrusin arsis sequi debet; hunc excipit choriambus. V. 113. Est versus Glyconeus hypercatalectus. Basin praemissam sequitur choriambus et jambus una syllaba

auctus; V. 112. compositus est ex anacrusi, spondeo, qui trochaeo substitui potest et choriambo. V. 115. Est catalecticus anacrusi locum tenente basis, quem versum alii in numero polyschematistorum habent, compositum ex Molosso et choriambo. V. 116. eadem exigitur mensura qua V. 114. V. 117. exordium capit a tribracho, a basi non excluso, et in tragoedia recentiore maxime frequentato; reliqua pars similis vv. 114, 116; V. 118 Glyconeus est legitimus producta penultima, id quod fieri potuit ex ratione eorum, qui, ut Hermannus explicuit, polyschematistum fecerunt hoc metrum. V. 119. est Pherecrateus basi dempta. Vv. 120, 121 sunt glyconei legitimi, sequentes 122, 123 quos in duos distribuit versus Hermannus in editione sua, colligavit in unum in ell. doctr. metr. §. 494 exemplum afferens unius choriambi addendi Glyconeo. Quo in exemplo uterque choriambus et qui sequitur basin et qui claudit versum solutioni cessit, quae in recentiore tragoedia non est rara. Accedit quod in antistrophe syllaba longa in quem desinit glyconeus, solutus est. Scriptura variat. Editio Glasg. exhibet ἡλίου qnod a dialecto Dorica alienum rejecit Hermannus, quem secutus sum, discrepante Dindorfio qui ἀελίου legit. Terminatur systema in Pherecrateum senis superfluens Molossis. Disjungitur canticum ternis per intervallum aequabiliter membris, ter iterato Pherecrateo. Vv. 116, 120, 124, 131, 135, 139 ita ut tenuior forma basi abjecta medias teneat, plenior primam sectionem fulciat, integra vero summam numerorum claudat.

